

Petrus de Vinea

*Ep. V 20 (Multum nostris
derogatur affectibus...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 20 (Multum nostris
derogatur affectibus...)*

1249?

Constitutio contra deuastantes ortos et uineas.

1. Multum nostris derogatur affectibus, si iustitiae limitem, cuius nos subditis debitores offerimus, transgressorum cupiditas effrenata circumstrepit, et pacis quietae temperiem aliquorum improuisa temeritas inquietet. 2. Sed illud precipue nostris cedit uotis infestius, cum, reuerentia quasi uilipensa dominii, tantum preceps et incauta diuitum maiorumque presumit audacia, ut impudenter in pauperes seuiat, et crudeliter exardeat in minores. 3. Hoc siquidem in ciuitate..., sicut ex ortulanorum et pauperum querula propositione comperimus, committitur insolenter. Qui dum ex manuum suarum laboribus, quos ad defendendam inopiam in ortis et uineis excolendis exercitant, [commodum sperant], herba frequenter in florem prodiens et raro perfectionem maturitatis attingens, raptu uel uiolenta falce precipitur, et laborantis manibus exinde preuisa compendia auferuntur. 4. Furit enim in ipsos aliquando furtiuis insultibus aggressorum ingluuies, quibus non licet dicere: Cur uenistis?, et seuit persepe uiriliter in collectione fructuum impudica fragilitas ancillarum, quibus mittentium animatis imperio repulsam adimit potentia dominorum. Sicque colonus ipse spe frustratus et premio, tutius eligit dampna dissimulare silentio, quam uerbis factus horribilis personales iniurias rerum cumulare iacturis. 5. Volentes igitur, ut huiusmodi uulnus nec ad alios ex impunitate subrepat ignis, uel ferri seueritas uiolenter abscidat, cui reuerentiae nostrae medicina non prodest, presenti edicto nostro, quod inter alia Statuta ciuitatis ipsius mandamus inseri, tenaciter in antea ualituro sancimus: ut quotiens masculini

sexus aliquis malefactor, cuiuscumque condicionis, generis uel etatis, in ipso fragranti malefitio fuerit deprehensus, de nostra licentia capiaturn assignandus tibi... per te sine nostrae serenitatis oraculo nullatenus liberandus. 6. Si uero pedissecam aliquam, uel cuiuscumque condicionis alterius mulierem eiusdem maleficii deprehensio complectatur, nulla patrono eius, qui liberas sibi ad excessus huiusmodi laxauit habenas, honorificentia reseruata, ipsam per terram publice uolumus subici fustibus, ut culpam perpetrati facinoris eiusdem penalitatis asperitas iudicet, et in casu simili delinquendi materiam ceteris interdicat. 7. Hac enim inuiolabili iussione statuimus, ut nulli ortulanorum ipsorum liceat ob alicuius uiolentiam seu rogatum alia in ortis ipsis semina spargere, nisi ea, quae usibus et esibus humanis accommoda telluris ortalis fecunditas producere consueuit.